

Christophorus Treyskowsk.

M.
441.







In Nomine Domini, Amen.

Q V Æ S T I O
A S T R O N O M I C A

D E

Declinationibus & Ascensionibus tã re-
ctis quàm obliquis nec non Ortus & Occasus
Stellarum fixarum atq; Planetarum supputandis.

SUB FELICISSIMIS AVSPICIIS

Magnifici, Perillustris & Adm: Reuerendi Domini,

D. M. ALBERTI
PAPENKOWICZ VSTIEN:

S. TH: DOCTORIS & PROFESSORIS,
Ecclesiæ Collegiæ S. Floriani PRÆPOSITI,
Contubernij Staringeliani Prouisoris,
Theologicæ Facultatis Decani, Proton: Apostolici, nec non
Almæ Vniuersitatis Cracouiensis

R E C T O R I S Vigilantissimi

A

M. CHRISTOPHORO KRZYKAWSKI

Philosophiæ Doctore & Professore

Pro Collegio Minori

In Peraugusto DD. Theologorum Lectorio
Publicè ad Disputandum

P R O P O S I T A

A N N O, Q V O

Luna capit tria ter, Phæbus clarissimus orbe

Emboli-num numeras Roma capitq; tria

Decimo septimo Calend: April: Horâ 13.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO

V Ad supputandas Declinationes Ascensiones tam rectas, quam obliquas, Ortus & occasus Stellarum tam fixarum, quam erraticarū, præter motum raptū, qui fit contra successionem signorum, & motum proprium Planetarum, qui fit secundum successionem signorum, non tantū Circuli Fixi Æquator & Zodiacus, sed etiā mutabiles Meridianus & Horizon, vnā cum maxima Obliquitate Zodiaci requirantur nec ne?

CONCLUSIO I.

D Declinationes, Ascensiones rectæ & Obliquæ, Ortus Occasus stellarum fixarum atq; Planetarum supputationibus Astronomicis inquiruntur.

COROLLARIA.

I. Licet mechanica inspectio globi celestis ad certam Obliquitatem Zodiaci fabricati Declinationes, Ascensiones rectas & Obliquas, Ortus & Occasus, Stellarum fixarum & Planetarum exhibere possit; tamen calculus Astronomicus, aut Tabule fundamentaliter supputatae, exactiorem, & certiorē horum supputationem præbent.

II. Duarum Ascensionum vel descensionum, duobus calipunctis, aut stellis respondentium differentia, dicitur Ascensio vel descensio discreta.

III. Ortus & Occasus, stellarum tam fixarum quam erraticarum, qui consequitur motum diurnum, competit omni Sphærae angulari, non tamen parallele.

IV. Ortus alius est absolutus, qui simpliciter respicit Horizontem; alius comparatus, & hic aut Æquatorem respicit, & communi vocabulo dicitur Astronomicus, aut solem & vocatur Poëticus.

V. Ortus matutinus, & Occasus vespertinus Heliacus, in omnibus stellis obseruabilis est excepta Luna Occasus vero Heliacus matutinus, & Ortus vespertinus, tantum cadit in inferiores Planetas & Lunam.



CONCLUSIO II.

Non tantum motus raptus, qui fit c. f. f. sed etiam proprius Planetarum qui fit f. f. f. datur.

COROLLARIA.

I. *Motus reuolutionis diurnæ, ex quo fit super axe & polis Equatoris, ex eo sequitur Equatorem, esse maximum huius motus parallelum: ac proinde gradus Equatoris, sicut reuolutionis diurnæ metiuntur partes, ita congrue apud Astronomos, temporum nomine vocantur.*

II. *Terminus à quo motus primi mobilis hypotheticus (naturale enim initium motus Circularis per se nullum est) Astronomis placuit Meridianus Circulus, à quo & diem suum ordiuntur.*

III. *Reuolutio primi motus periodica, si ad motum solis non referatur (cuiusmodi est reuolutio stelle fixæ) à meridiano, ad meridianum eundem præcise fit (spatio horarum 24. si verò motus solis habeatur ratio præter 24. horas 4. admittit.*

IV. *Centra Planetarum, licet super distinctis polis, à polis mundi & Zodiaci moueantur; tamen Orbes deferentes Auges Planetarum (præter Luna) cum stellis fixis mouentur super polis Eclipticæ secundum signorum successionem.*

V. *Firmamentum & Sphæræ inferiores licet proprio motu ferantur secundum signorum successionem, nihilominus ad raptum primi mobilis mouentur contra signorum successionem.*

CONCLUSIO III.

Aquator & Zodiacus, sunt Circuli principales & fixi. Horizon verò & Meridianus variabiles.

COROLLARIA.

I. *Sicut Equator & Zodiacus, distinctos habent polos, ita meridianus & Horizon.*

II. *Polus Zodiaci, distans à polo mundi, pro maxima Declinatione solis, motu trepidationis octauæ Sphæræ, accedens & recedens, ad polum & à polo mundi, fixam situationem Zodiaci non tollit.*

III. *Stella extrema in cauda Vrsæ minoris, quæ polaris dicitur, non est polus, nec unquam polum mundi attinget contra Regiomontanum.*

IV. *Circuli Declinationum, Latitudinum, licet sint inuariabiles non tamen principales.*

V. *Circuli Azimuthales & Almucantharab non possunt dici fixi & inuariabiles.*

CONCLUSIO IV.

Maxima Obliquitas Zodiaci, ad Declinationes, Ascensiones Rectas & Obliquas, Ortus & Occasus tam stellarum fixarum quam Planetarum supputandas requiritur.

COROLLARIA.

I. *Data maxima Obliquitate Zodiaci, reliquarum signiferi partium Declinationes inveniuntur: quæ ad unum Quadrantem signiferi supputata, totius partium Zodiaci calculum expediunt. Sol vero, quia Eclipticam regularissime, in suo motu obseruat proinde habita Declinatione solis cum certo cui competat Quadrante, locus eius in Zodiaco exacte inuenietur. Quemadmodum vero Eclipticæ ita & stellarum fixarum Declinationes (quæ non nisi nota prius maximâ Declinatione solis, atq; longitudine & latitudine stelle, inveniuntur) pro sæculis mutantur, atq; decrementi, & incrementi subeunt rationem. Declinationes vero stellarum Australes ne an Boreales sint, sicut latitudo earundem, ita arcus discretionis demonstrant.*

II. *Ascensiones rectas Eclipticæ, (quæ ad unum signiferi Quadrantem supputata, adhibita prosthapheresi, aliorum Quadrantum suppeditant Ascensiones rectas) maxima Declinatio solis, determinat & ex his locus solis in Zodiaco, percommode inuestigari potest.*

III. *Ascensiones rectæ stellarum fixarum, (quæ in suo calculo & solis maximam & suam Declinationem nec non longitudinem atq; latitudinẽ notam præsupponunt) non semper crescente longitudine crescunt.*

IV. *Differencia Ascensionalis, determinans ascensiones, & descensiones Obliquas, ex quibus ortus & Occasus, veri Poëtici, ex his Heliaci deducuntur. præsupposita Ascensione recta & poli elevatione, maximam Zodiaci & puncti dati celi, aut stelle Declinationem in suo calculo requirit. Porro hæc pro certâ Sphæræ Obliquitate, ad singulos graduum Declinationis supputata, donec Declinatio, attingat Complementum elevationis poli, dabit Tabulam Differentiarum Ascensionalium, pro omnibus stellis, in eadem Sphæræ Obliquitate Ortus & Occidus.*

V. *Ortus & Occasus Heliacus stelle fixæ aut planeta in supputationibus suis præter Eclipticæ punctum, cum quo stella aut Planeta cofinice oritur aut occidit, atq; angulum Orientis aut Occidentis, dato puncto Eclipticæ correspondentem, requirit Arcum visionis aut occultationis, qui ex diligenti Astronomorum obseruatione, non est eiusdem quantitatis in omnibus stellis fixis atq; planetis.*

Soli DEO Honor & Gloria.

Permissu Magnifici Domini,

RECTORIS.





BIBLIOTEKA KÓRNICKA

3126



ÓRNICKA

6

Christophorus Treykowsk.

*M.
441.*